



Universitätsbibliothek Paderborn

**Decretvm Vt omnes Regularium Superiores suos subditos,
& Religiosos persaepe commoneant de iniuncta omnibus
obseruantia, & executione Apostolicarum Constitutionum,
& Decretorum ad Officium ...**

Urban <VIII., Papst>

[Romae], 1645

Formula concedenci facultatem pro Nouitijs ad regularem habitum
recipiendis in Monasterijs, & locis designatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10826

runt, ad exteriorem gubernationem utantur.

Licebit tamen Superioribus determinare poenitentias graues quibusdam peccatis, etiam non reseruatis, à Confessarijs imponendas, quæ subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint.

Atque ita per quoscunque Regularium Superiores, quicunque illi sunt, obseruari mandauit. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac cuiusvis Concilij, & etiam generalis Decretis, necnon consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore obseruatis, aut Regulis in generalibus, seu prouincialibus Capitulis editis, statutis, & Constitutionibus etiā Apostolica auctoritate confirmatis, priuilegijs, indultis, & concessionibus quorumcunque; quorum tenores hic pro expressis haberi voluit, ceterisq. in contrarium facientibus quibuscunque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum die 26. Maij, anno Domini 1593.

Sanctitas Sua deinceps declarauit & declarat, ut si huiusmodi Regularium Confessarijs casus aliquius reseruati facultatem potentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarij illa vice penitentes Regulares, etiam non obtenta à Superiori facultate, absoluere.

*Formula concedendi facultatem pro Novitijs ad regularem habitum recipiendis in Monasterijs,
& locis designatis.*

Sanctissimus in Christo Pater, & D. N. D. Clemens Divina prouidentia Papa Octauns, cum re-

regularem disciplinam restituere , atque in pristinum statum reuocare maximè cuperet, regularesq; omnes, vitam , moresq. suos ad rationem eius instituti, quod quisque professus esset , ita compondere, vt quæ ad votorum vim , habitum , victumque communem pertinent , ea potissimum singuli religiosissimè obseruarent; generali Decreto , quod de mense Junij editū , tertia Iulij anni 1599. promulgatum fuit , Ordinum eligiosorum Superioribus, (nonnullis exceptis) prohibuit , ne aut Nouitios reciperent , aut quemquam ad professionem ante admitterent, quam à Sanctitate sua monasteria aliquot ad eam rem præscripta essent , in quibus obseruantia regularis vigeret . Nunc vero eadem Sanctitas sua à locorum etiam Ordinarijs , quibus id munera defnandauerat , certior facta , in infra scriptis Monasterijs , & Conuentibus Ordinis N. præfinitum esse numerum duntaxat eorum , qui vel ipsius Monasterij censibus , vel consuetis eleemosynis sustentari ibi commodè possunt , atque in ijs omnia fideliter obseruari , quæ sunt cum illorum professionis perfectione coniuncta , nempè castitatis, paupertatis , & obedientiæ vota , vna cum cæteris decretis particularibus , vel instituti ipsius , vel Pontificijs , etiam ad victum , vestitumque communem spectantibus (ipso Decreto , vt supra edito , & promulgato , nequaquam obstante) potestatem facit Superiori eiusdem Ordinis Nouitiatus in infra scriptis Monasterijs , & Conuentibus erigendi , Nouitios recipiendi , educandi , atque ad professionem admittendi ; modò tamen id ad præscriptum instrutionis

ctionis iussu Suæ Sanctitatis editum , neq; alio modo fiat. Quoniam vero ea est Suæ Sanctitatis mens, & voluntas, vt in Monasterijs , & Couentibus ad alendos Nouitios præfinitis, regularis obseruantia perpetuo retineatur, mandat, & præcipit, vt in ipsis præscriptus iam personarum numerus in posterum seruetur , nullusq. omnino Superior cuiusvis conditionis, personarum , & Nouitorum numerū augere præsumat , ea pœna proposita , vt in omnibus priuatus officijs, vocis actiuæ , & passiuæ ius omne amittat. Vult denique Sanctitas sua huiusmodi facultatem per Congregationem Reformationis Apostolicæ hoc Decreto Secretarij manu subscripto concedi, non obstante Decreto , vt supra promulgato. Dat. Romæ die , &c. Præscribitur verò numerus Sacerdotum...., Clericorum...., Nouitorum...., Conuersorum autem

N. Visitationis, & Reformationis Apost. Sec.

Decretum super forma recipiendi Nouitios Regularium ad habitum, & professionem.

SAntissimus in Christo Pater , & D. N. D. Clemens Diuina prouidentia Papa VII. qui alias pro Regularis disciplinæ restitutione , singulis regularium Ordinibus (quibusdam exceptis) prohibuit , ne ad Regularem habitum Nouitios in posterum reciperent , receptosvè ad professionem , admitterent, quo usque in aliquibus cuiusvis ordinis Monasterijs , seu Conuentibus (in quibus Nouitiatus pro recipiendis, & educandis Nouitijs de signa-